

maneant? Nonne perpetuâ compertum est experientiâ aquas ad libellam sese componere?

Nec fugiant Deistæ ad incognitas quasdam naturæ leges, ex quibus ortum habuerint hujus modi prodigia: quo pacto enim ea prænuntiare potuisset Moyses antequam fierint? Quo pacto stupendi illi effectus, aut existebant aut cessabant ad nutum Moysis, prout opus erat ad castigandam Pharaonis pervicaciam? Ergo 1°. certum est Deum in Religionis Judaicæ confirmationem vera miracula Moysis ministerio operatum esse.

2°. Et veras edidit Prophetias ejusdem Moysis ministerio: tanto autem sunt numero, ut singulas persequi non vacet; paucas igitur delibare satis erit; sic, v. g. prænunciavit Moyses muscarum et locustarum subitam irruptionem, Ægyptiorum animalium cædem; primogenitorum internecionem, maris rubri divisionem, affuturam mannae copiam, horrendum Core, Dathan et Abiron interitum, cum variis temporum, rerum et locorum circumstantiis. Sic promissiones et comminationes legis denuntiando: multa vaticinatur, quæ ultimis temporibus experturus erat Israël, et præsertim captivitatem Babylonicam. (*Levit. c. 26. Exod. cap. 19. Deuteron. cap. 27. 28. 29.*) Ibi enim prædicitur Israëlitas extra patriam asportandos esse, et quidem à gente remota, cujus linguam minimè noverant; illos eo tempore Regem habituros, Regemque simul cum ipsis transferendum; urbes eorum obsidione cingendas, murosque unâ cum civitate evertendos; Israëlitas tempore obsidionis tantâ fame et penuriâ laboraturos, ut à parentibus filii devorarentur; Judæos per omnes gentes esse dispergendos, et populorum ludibrio; variisque miseris obnoxios fore; multos in Ægyptum venales esse deportandos; Deum tandem fœderis sui recordaturum: quæ singula accuratè contigerunt.

Sic etiam declarat omnes Israëlitas viginti annos

et suprâ natos, exceptis Caleb et Josuè, in deserto morituros, eorumque filios terrâ ipsis promissâ potituros; (*Num. cap. 14.*) atqui omnia hæc vaticinia veræ sunt Prophetiæ: ibi enim vera est Prophetia, ubi est prædictio certa eventus futuri, qui in causis naturalibus prævideri non potuit: atqui prædicta Moysis oracula ita se habent; ea quippè certus comprobavit eventus, qui in causis naturalibus prænoci non potuit: quâ scilicet arte, quâ industriâ et sagacitate præscire potuit Moyses, v. g. ex tot Israëlitarum millibus, nullum fore qui in deserto non esse moriturus, exceptis Josuè et Caleb, qui nec juniores erant, nec leviora adituri pericula? ergo 2°, etc. ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Miracula quæ in Religionis Judaicæ gratiam proferuntur, non nisi ex Moysis et Judæorum relatione cognoscimus; atqui par non est ut Judæis in sui gratiam scribentibus fidem habeamus; ergo, etc.

Resp. 1°. Neg. maj. De præcipuis enim Judaicæ gentis eventibus, et de aliis quos refert Moyses non omninò siluerunt autores profani, quorum testimonia videre est apud Eusebium, qui Porphyrium plurimosque alios commemorat. (*Præp. Evang. lib. 9.*) Eos antea appellaverat Josephus in suis contra Apionem libris, in quibus suæ gentis antiquitatem, suæque legis veritatem ab adversarii calumniis egregiè vindicat.

Resp. 2°. Neg. min. Cùm enim de cognoscenda alicujus gentis historia agitur, illa præcipuè interrogari debet; apud ipsam potius quàm apud exterans gentes quærenda est historica factorum veritas. Ubinam rerum, tum Græcarum, tum Romanarum, tum Persicarum monumenta quærimus? Nonne apud Græcos, apud Romanos, apud Persas? Sed multò magis necesse est ad Judæos confugere, si rerum Judaicarum Historiam velis

assequi; ille enim Populus à ceteris gentibus erat quasi segregatus, et nullo ferè cum illis commercio utebatur, ne eorum contagio et consortio corrumpetur. Porrò gentis suæ Scriptoribus fides adhibenda est, nisi causæ sint legitimæ aut eos rejciendi, aut suspectos habendi: atqui nihil tale suspicari licet de Pentateuchi autore, in quo mirum in modum eminet ingenuus animi candor, et qui decipere non potuisset, etiamsi voluisset, ut probavimus. Præterea non unus aut alter scriptor, sed tota gens Judaica rerum quæ in Pentateucho referuntur veritatem testatur; nihil autem simile apud Paganos reperias.

Obj. 2°. Veteres qui de Judæis scripsère, Justinus, (*lib. 36*) Tacitus (*lib. 5.*) narrant Israelitas propter scabiem seu lepram ab Ægyptiis fuisse expulsos; ergo quidquid refert Moyses de plagis Ægyptiacis; quasi Pharaonem compulerint Israelitas dimittere, fabulam redolet.

Resp. Neg. conseq. Moyses præ ceteris qui nobis opponuntur Scriptoribus audiendus est; tum quia autor est cœvus; alii verò non nisi mille annis et amplius post res gestas scripsère; tum quia illorum narratio tot scatet fabulis quot verbis; Justinus, v. g. Moysen ex Josepho, Aaronem ex Moysè ortum dicit; dignitatem tum regiam, tum sacerdotalem in Aarone consociatam asserit; atqui tamen hæc falsissima esse constat ex perpetuâ Judaicæ gentis traditione de quibus consule Josephum et Eusebium. Præterea quis unquam audiit exercitum leprâ infectum, ita animis et viribus valuisse, ut sanum, integrum, multoque magis numerosum vicerit et fuderit?

Obj. 3°. Multa sunt Moysis facta quæ proferruntur ut miracula, licet humanam non superent industriam. In eo quòd, v. g. aquas de rupe eduxerit, nihil est adeò stupendum. Quantum enim detegendis occultis fontibus opportuna sit virga, gallicè, *la baguette*, nemo nescit. Eâ

non semel feliciter usus est seculo proximè elapso famosis *Aymar*. Refert Tacitus frequentes esse in Arabia onagros, qui fontes subodorentur; unde sic potuit Moyses aliquâ arte sibi cognitâ, aquæ scaturiginem detegere; ergo in prædicto facto nullum est miraculum.

Resp. Neg. ant. Si quædam enim naturalis Moysi inerat aquas latentes detegendi facultas, cur ad Deum confugit, ut populi sitim nimiam sedare velit? Cur in eum Deus graviter irascitur et animadvertit, quòd rupem virga bis percusserit, quasi liberum et innocens non fuerit Moysi in adversariorum hypothesi, vel semel, vel bis rupem percutere? Præterea scientia naturalis fontes detegendi, ad hoc quidem inservit, ut assignentur et indicentur loca quæ continent aquas; nequam verò efficit, ut ad solum virgæ ictum è saxis exiliant aquæ uberrimæ; quod tamen Moysi contigit.

Obj. 4°. Inter miracula quæ Moysi tribuuntur, nullum est insignius quam transitus Israelitarum per Mare rubrum: atqui tamen causis naturalibus et Moysis solertiæ adscribi potest; scilicet Moyses qui ad horam hujus maris diù vixerat, æstum ejus reciprocum, Gallicè, *flux et reflux*, facile observare potuit, illiusque opportunitatem arripere, ad trajiciendum unâ cum populo mare rubrum.

Resp. Neg. min. Nam 1°. si vera sit Moysis narratio, ut suprâ demonstratum fuit, tot in uno hoc prodigio occurrunt miracula; ut rem totam causis naturalibus Moysisque peritiæ tribuere, insanire sit. Israelitas furens insequitur Pharaonem, eosque in suis castris prope mare reperit: tum perterriti murmurant, et sic apud Moysen conqueruntur; *Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, idèò tulisti nos ut moreremur in solitudine.* (*Exod. cap. 14. v. 11.*) Moyses ad Dominum confugit, et tremebundo populo nunciat victoriam salutemque proximam: *Siate, inquit, et videte magnalia*

Dei quæ facturus est hodie; Ægyptios enim quos nunc videtis, nunquam ultra videbitis usque in sempiternum (*Ibid.* v. 13.) Vel igitur Moyses cum Deo colloquium habuit, qui eum de eventu certior fecit, vel non habuit; si primum, vincimus, nec merè naturalis est Israëlitarum per mare transitus; si secundum, quo pacto præscire potuit Moyses, tantam fore Ægyptiorum ruinam, ut ne ullus quidem superesset? Quo pacto prænoscere potuit Pharaonem itamari temerè se commissurum, ut fluctibus relabentibus cum suo exercitu submergeretur?

2º. Æstus maris reciprocus, utpotè phænomenum quotidianum, nec Hebræis, nec Ægyptiis potuit esse ignotus. Quomodo igitur ausus est Moyses rem mere naturalem pro miraculo venditare? Quomodo Israëlita Moysi tam impudenter mentienti assentiri potuere? Cur illius eventus monumenta servârunt? Etiam si enim maris rubri æstus reciprocus eos antè transitum latuisset, non potuerunt deinceps illum non advertere: siquidem ad hujus maris ripam diù commorati sunt. Quotidianus ille maris æstus Ægyptios profectò non fugiebat; quo pacto igitur mortem in periculo tam communi tamque sibi familiari invenere? Nonne facile potuisset Pharaon redeuntes aquas cum suo equitatu antevertere, et tutum in locum sese recipere?

3º. Nihil ab æstu reciproco sperare poterat Moyses, mare enim illud sex horarum spatio paulatim sensimque à littore recedit, et totidem horis ad solitum littus redit. Deinde observationibus constat maris rubri æstum non aperire tramitem, nisi ad summum trecentis passibus latum, atqui non potuerunt Israëlita per tempus adèò breve numero 600000 hominum cum jumentis, plaustris totaque suppellectili per spatium ita angustum mare trajicere, maxime verò cum vix pervia sit maris arena, ubi primum aquæ recesserunt.

Inst.

Inst. 1º. Teste Artapano apud Eusebium: (*Præparat. Evangel. lib. 9.*) à Memphitis narratur Moysen totius regionis scientissimum, reciprocantis æstus tempore, sicco tramite mare universam multitudinem transmisisse; atqui hæc narratio Memphitarum fidem meretur, cum civitas Memphis olim fuerit totius Ægypti caput; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Huic enim Memphitarum narrationi aliam certioram opponimus. Sic enim pergit idem Artapanus: *Ab Heliopolitanis verò sæcùs narratur, quippè Regem abeuntes Judæos... ingenti exercitu... persecutum esse: at Moysen ut mare virga percuteret divinitus admonitum, aquarum virga tetigisse, ac discedentibus illis fluctibus, Judæos sicco tramite deduxisse; eandem viam tentantibus, et fugientium terga prementibus Ægyptiis, cum adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum quoque mare patentem senitam refluentibus undis obruisse. Itaque partim igni, partim æstu maritimo Ægyptios ad unum omnes periisse.* (*Lib. 9. cap. 27. p. 436. edit. Paris. 1628.*) Porro Heliopolitani Ægyptii præ Memphitis audiendi sunt; priores enim contra se, posteriores verò pro se testantur.

Inst. 2º. Esto maritimus æstus ad explicandum maris rubri transitum non sufficiat, saltem supponi potest cum Spinosâ, ventum ab oriente vehementer flantem, aquas naturaliter scindere potuisse liberumque inter Israëlitis aperuisse; atqui hoc posito in isto eventu nihil est miraculi; ergo, etc.

Neg. min. Nam ventus qui ita vehemens fingitur ut maris fluctus hinc et inde suspensos tenuerit, siccumque tramitem aperuerit, ventus, inquam, hujusmodi, instar muri ænæi Israëlitarum transitui obstisset. Quinimò eadem vis quæ tantam aquarum molem dividere et suspendere potuisset, Judæos humi prostrasset dejecissetque, et violenta compressione exanimasset; quod si Israëlita incredibilem illum venti impetum sustinuissent incolumes, illud non minus esset miraculum, quam

Tom. I.

G

transitus ipse per mare rubrum, qualem describit Moyses; dùm igitur miraculum effugiunt increduli, in aliud recidunt; et dùm verum negant, falsum sibi fingunt.

Inst. 3^o. Josephus ipse, patriâ licet et religione Judæus, incertum relinquit, an transitus Israëlitarum per mare rubrum verum fuerit miraculum, an verò effectus merè naturalis. (*Lib. 2. de Antiq. c. 16.*) Ipsum deinde comparat cum transitu Alexandri Magni per mare Pamphiliæ, favente æstu maritimo; ergo, etc.

Resp. Si quis Josephi textum diligenter perpendit, facile animadvertet hunc autorem reverà non dubitasse: sic enim narrat: *Deum precatus Moyses, mare virga percussit. Istud vero nudam relinquit terram, quâ fugam capesserent Hebræi impetu facto, persequi eos ceperunt Ægyptii, quasi et ipsis in tranquillum cederet mare... rursus se diffundit mare, et . . . Ægyptios fluctibus circumdatos obruit . . . ac isti quidem universi adeo perierunt, ut nec nuntius cladis reverteretur. Et ego quidem prout sacris in libris scriptum reperiëbam, horum unumquodque memoriæ tradidi. Deinde, memorato Alexandri Magni per mare Pamphilium transitu, sic concludit; *At de his quisque, ut libuerit, sentiat. (Lib. 2. cap. 16. pag. 114 et 115. tom. I. edit. Haverc.)**

Ex quibus satis apertè liquet Josephum in eâ fuisse sententiâ, quod Israëlita divinitus adjuti mare rubrum trajecerint: si quid autem huic miraculo minus accommodatum protulerit, illud non incredulitati, sed nimia prudentiæ tribuendum est, scilicet Josephus eâ scribebat ætate, quâ Judæorum natio summas jam experta calamitates, in imminenti excidii periculo versabatur. Cunctis invisa gentibus, maximè Romanis, ob suam illius Religionis professionem, quæ cum ceteris pugnabat, omnium in se odium et invidiam concitaverat. In iis ergo positus angustiis Jose-

phus, putavit suum paulisper dissimulandum esse pro religione et gente suâ studium; hinc non ausus est ea prodigia palàm facere, quæ peculiarem Dei erga Judæos providentiam ostendebant. Hinc nullam prætermisit occasionem aliorum populorum minuendi invidiam, quod ut assequeretur, eò progressus est, ut inter leges Moysis istam à se confictam recencere non dubitaverit: *Nemo blasphemet Deos, quos aliæ civitates Deos estimant.* Judicent ergo ipsimet adversarii, an testimonium Josephi tanto quod defendimus prodigio aliquid detrahat.

Ceterum immane est discrimen inter Israëlitarum per mare rubrum, et Alexandri Magni per mare Pamphiliæ transitum; Israëlita enim divisum mare ab uno littore ad aliud oppositum, suspensis hinc et inde aquis, trajecerunt: Alexander autem maris Pamphiliæ oram legit, nec sine gravi incommodo et periculo. Teste enim Strabone, ipse et sui milites ad dimidiam usque corporis partem aquis immersi iter pergebant. Hinc Alexander ipse, ut refert Plutarchus, nullum in eo transitu suspicatus est miraculum.

Obj. 5^o. Illa Religio divina non est quæ multa præcipit crudelia et à caritate prorsus aliena; atqui in Religione Judaicâ multa hujusmodi præcipiuntur; tale est, v. g. præceptum de interficiendis absque misericordiâ Chananæis, postquam eos bello vicerent Israëlita: *Percuties eas (gentes) usque ad internecionem. (Deur. cap. 7. 2.)* Quod ne in hostibus etiam infensissimis locum habet, qui contumaces et armatos debellant quidem, sed subjectis et supplicibus ignoscere solent.

Resp. Neg. min. Non enim ex crudelitate, verum ex justitia jubet Deus Chananæos interfici et deleri, propter abominanda scilicet flagitia quibus sese polluerant; de nefandis autem illis criminibus vindictam Deus per Israëlitas, tanquam per suos Ministros, repetit; sic enim legitur

Deuteron. (cap. 18. v. 9.) : Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi ; cave ne imitari velis abominationes illarum gentium... propter istius modi scelera delebit eos (Deus) in introitu tuo. Quis autem dixerit Deum , absque crudelitate , non posse populos ad omne scelus projectos morte plectere ? Ceterum nihil expressius Judæis commendabatur , quam humanitatis officia erga hospites et advenas. Si habitaverit , inquit Deus per Moysen , advena in terra vestra , et moratus fuerit inter vos , non exprobetis ei , sed sir inter vos , quasi indigena , et diligatis eum quasi vosmetipsos. (Levit. 19. v. 33 et 34.)

Obj. 6°. Religio quæ nulli docet animæ immortalitatem ; quæ non promittit nisi bona temporalia , non est divina ; atqui Religio Judaica , etc. ergo non est divina.

Neg. min. Nam , 1°. docet Moyses (Genes. 2. 7.) corpus ex limo terræ concretum fuisse ; animam verò esse spiraculum vitæ , et ad imaginem Dei factam , ac proinde ab omni corporea fece expeditam , et ab intreseco immortalem. 2°. Inducit Patriarchas confitentes se hospites esse et peregrinos super terram ; quibus verbis significabant se patriam inquirere meliorem , id est , cælestem. 3°. In fœdere cum Abraham inito , hæc fuit ex parte Dei promissio : Ego protector tuus sum , et merces tua magna nimis. (Gen. 15. 1.) quæ verba aliam demonstrant vitam , in qua dabitur frui Deo. 4°. Patriarcha Jacob morti proximus , divino afflatus spiritu exclamavit : Salutare tuum expectabo Domine. (Genes. 49. 18.) 5°. Leges severas Moyses adversus eos constituit , qui veritatem à mortuis inquirerent. (Deuter. cap. 18.) 6°. Legitur Sailem adisse mulierem Pythonissam , eamque rogavisse ut Samuëlis animam evocaret ; (Lib. 1. Regum , cap. 28.) atqui hæc omnia aliaque innumera satis probant hanc in veteri lege invaluisse persuasionem , animam fore cor-

pori superstitem , aliamque ipsi vitam destinari ;

Præterea legi Mosaicæ unusquisque ita se obstringebat , ut in eâ stare deberet , etiam cum fortunarum et ipsius vitæ periculo ; nec defuerunt qui occumbere maluerint , quàm datam hæc de re fidem violare : atqui neminem videas , qui velit pro Religione aliquâ mortem oppetere , nisi certa præmii post interitum obtinendi spes affulgeat. Si quid aliud in Religione Judaica reprehensibile prima fronte videatur , omnem ea de re anxietatem ac sollicitudinem depellere debet certissimum istud principium , scilicet Religionem perspicuis divinitatis characteribus , miraculis nempe et Prophetiis insignitam , omnis vitii expertem esse.

Quasdam alias difficultates solvimus in Tractatu de Legibus , ubi de Lege Mosaica disseritur.



DISSERTATIO IV.

De Religione Christiana.

IN demonstrandâ Religionis Christianæ divinitate , istum instituemus ordinem : 1°. librorum novi Testamenti authenticitatem ; 20. illorum integritatem ; 3°. ipsorum veritatem adstruemus. 4°. Præcipua exponemus argumenta , quæ veram et divinam esse Religionem Christianam demonstrant.

